

**www.e-rara.ch**

## **Historia animalium**

Conradi Gesneri medici Tigurini historiae animalium lib. I. de quadrupedibus viviparis - opus philosophis, medicis, grammaticis, philologis, poëtis & omnibus rerum linguarumque variarum studiosis, utilissimum simul iucundissimumque futurum. ...

**Gessner, Conrad**

**Tiguri, anno 1551**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: NNN 41 | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1927>

De talpa.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]


**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

¶ Emblemata Alciati, quod inscripsit, Ex damno alterius, alterius utilitas.  
 Dum saeuus ruerent in mutua uulnera telis, Vngue leana ferox, dente timendus aper.  
 Accurrit uultur spectatum, & prandia captat. Gloria uictoris, praeda futura sua est.

## DE TALPA.

A.



- T**ALPAM aliqui murium generi adnumerant, quod ipse non probo. neque enim aliud muribus simile habet praeter magnitudinem. quae & ipsa tamen in muribus uariatur. Murium sane genus omne, anteriores binos dentes oblongos & curuos habet, talpa non item. Albertus talpam aliter murem terrenum uel caecum appellari scribit. Sed mures terreni, qui fruges & herbarum radices in aruis & hortis populantur, alij diuersorum sunt generum, ut homonymiae cauendae causa, idem nomen talpis communicari non placeat. Caecus uero mus, idem qui araneus proprie cognominatur, ut suo loco diximus. תושמת, tinschemet, uocem Hebraicam Deute. 14. alij aliter interpretantur: Dauid Kimhi auem, quae caeteras suo conspectu obstupesciat, R. Salomon ciuetam, ut Galli uocant, id est noctuam, Leuitici undecimo Chaldaeus transfert בַּתָּה, baueta, uel bota, id est cygnum. Arabs شاهين, schahin. Persa nomen Hebraicum retinuit. Septuaginta & Hieronymus ibin. Et Deuteronomij 14. porphyriem. R. Salomon auem similem muri, Gallice dictam chaulue souris, id est uespertilionem. Et rursus Leuitici 11. (ubi legitur: Stellio, lacerta & talpa, haec omnia immunda, Munstero interprete,) Dauid Kimhi reptile interpretatur, R. Salomon תלפס, talpam. Chaldaeus אשחא, aschuta. Arabs زامراز, zambaraz. Persa آن گورباہ دداح, an gurbah dedach. Septuaginta aspalacē, Hieronymus talpam. In die illa proiciet homo aureos & argenteos deos, in fossuras talparum & uespertilionum, Esaiæ 2. Munstero interprete. Hieronymus uertit, Proiciet homo idola, usque ut adoraret talpas & uespertiones. Septuaginta, προσκυνῆν τοῖς ματαίοις καὶ τοῖς νυκτερίοις. Verba Hebraica sunt לחפור פרות ולעטלפים, lachepor perot uel aatalephim. Aliqui priores duas uoces coniungunt & pro una legunt lacheporperot, ceu compositam dictionem. Dauid Kimhi in libro Radicum & in Commentarijs quocumque, docet quosdam existimare sic dici auem quae fodiat פירוה, phiroth, id est foueas: quosdam reptile a fodiendo dictum. Ipse uoces duas esse putat, & interpretatur, ad fodendum fossas, ut in Thalmud aliquando פירוה pro פירוה. Abraham Esra unam dictionem facit, cheporperot, qua significetur auis noctu uolans, interdum se occultans, ut uespertilio. uel, ut alij dicunt, auis quae nocturna uocatur. Chaldaeus transfert abominationes aut idola, (secutus nimirum Septuaginta, ut saepe facit, qui μάτοια uerterunt: ) unde Iudaei quidam suspicantur idola forma illarum auium aut reptilium eos adorauisse. Symmachus infructuosa, Aquila ὄρνις, (quam uocem uidetur pro fossis accipere, nam uerbum ὄρνις fodere est.) Theodotion Hebraicam reliquit. Docti hodie omnino talpas esse putant, a fodiendo sic dictas. Syluaticus barbaras uoces irbea & lagocecos, pro talpa interpretatur, ut guzden Vetus glossographus Auicennae. Animal uocatum habenium foueas in campis habet, & pugnando uenatur animal dictum pelagoz, quod Auicenna uidetur uocare murem caecum, quem nos talpam nominamus. Vtrumlibet uicerit, deuorat alterum, Albertus in Aristotelem 9. 1. ubi nihil omnino tale apud Aristotelem reperio. ¶ Talpa Graece ἀσπάλαξ uocatur: aut etiam ἀσπάλαιξ, sed rarius. Recentiores quidam, Volaterranus & alij, Graece blaetam ἀσπάλαιξ, id est a nocendo dici, stulte suspicantur. Blatta enim non blaeta scribendum: quae dicitio Latina, non Graeca, insecti quoddam genus, non talpam significat. Ex eodem errore natum puto quod scribit Volaterranus, talpas frumentum in area populari, quod blatae ac gurguliones, insectorum scarabeorumque genera faciunt. Ineptissime etiam Albertus talpam Graece colty, uel (ut alibi legitur) koky appellari scribit, quam uocem eum ab Auicenna sumpsisse puto, ut forte Persica sit. Talpa apud Italos

nomen Latinum retinuit. Hispanicè, tópo, qua uoce Itali murem nuncupāt. Gallicè, taupe. Germanicè *mulwerf*, uel ut Saxones scribunt *molwurff*, quòd terram rostro fodiat & reiciat. Helueticè frequentius uocant *schâr* uel *schârmus*, ut excitatum ab eis terræ cumulum *schârhusen*. à uerbo *scharren*, quod manibus aut pedibus radere & fodere significat. unde & agrestes mures qui terram fodiunt ut radices deuorent, *schormuß* appellantur. Flandri & Hollandi talpam uocant *mol* uel *molmuß*: Angli molle, prima syllaba tantum Germanicæ uocis *mulwerf* uel *molwurff*, ut uideatur, usurpata. Sed Angli etiam *want* appellant. Illyrii *krlicze*.

B.

Terræ Bœotia in Orchomenio agro talpæ habentur multæ: at in Lebadico uicino (in Coronea, ut legimus in Mirabilibus Aristot.) nullæ sunt, neq; si aliunde portatæ eò fuerint, uolunt infodere, Aristoteles & Aelianus. quanquam huius interpretes Gillius sic uertit, Bœotia terræ solum talpis caret, &c. In Bœotia Lebadia illatæ solum ipsum fugiunt, quæ iuxta in Orchomeno tota arua subruunt talpæ, Plinius. ¶ Talpæ coloris sunt nigri, (cinerei, Cardanus) pili mollis, breuis & densi, Albertus. Pilos habent nigrore splendido insignes, qui catulis earum sunt albi, Georg. Agricola.

¶ Aegyptij ut hominem cæcum significant, talpam pingunt. hæc enim neq; oculos habet, neque aliter uidet, Orus. Aut oculis capti fodere cubilia talpæ, Vergil. i. Georg. ubi Seruius, Oculis capti, id est oculis debiles. quum enim cæcæ nascantur, quomodo capti oculis? Quid talpam, num desiderare lumen putas? Cicero 4. Acad. Talpa priuata est uisu, (Hesychius oculis,) Suidas. Oculos non habet, lidem in τυφλότερ. Talpa cæcor, τυφλότερ. ἀσάλακ. prouerbiū in eos qui supra modum cæcutiunt, aut qui minimè iudicant. Nam iocundior fiet metaphora, si quidem ad animum transferatur, Erasmus. Meminerunt prouerbiū Suidas & Hesychius. Stesimbrotus ait eas à Terra excacatas esse quoniam fruges perdāt, Suidas. Talpam modo quodam oculos habere diximus, cum tamen omnino habere negem. quippe cum omnino quidem nec uideat, nec perspicuos habeat oculos. Verum si quis prætentam membranam detrahit, locus oculorum apparet, & pars nigra eorundem: situs deniq; & descriptio eadem, quam legitimam conspiciui oculi obrinent, utpote cum obducta cute oculi pressi, confusi, oblatiq; essent, dum crearentur, Aristoteles. Et alibi, Generi talparum uisus deest, non enim oculos in aperto id habet: cute tamen detracta, quæ crassiuscula obtenta sedem luminum opacat, oculi intus lacessiti imperfectiq; uisuntur, sed ita, ut partes easdem habeant omnes, quibus oculi integri constant. Habet enim nigricantem illum orbiculum, & quod intra eum continetur, quam uocant pupillam, atq; etiam portionis albidæ ambitionem: sed non tam liquidò, quam oculi conspiciui & eminentes. nec in partem exteriorē apparere hæc possunt, propter cutis obductæ corpulentiam, utpote cum natura inter generandum lædatur, atq; ita opus inchoatum relinquatur. pertinent enim à cerebro, qua cum neruo cōiungitur, meatus duo neruosi ualidi ad ipsas oculorum sedes, qui in dentes superiores sinunt, Hæc Aristoteles. Quadrupedum talpis uisus nō est. Oculorum effigies inest, si quis prætentam detrahat membranam, Plinius. Talpa dicta est, eò quod perpetua cæcitate tenebris damnata sit. est enim absq; oculis, Isidorus. Talpa loca oculorum habet, non oculos. nam pellem in loco oculorum non habet pilosam, Albertus. Etrursus 1. 2. 3. Talpa (inquit) priuata est oculis, ut uideatur. nihil enim omnino uidet, & errat incedens. quum de terra egreditur, sed hoc experimēto cognoui, quod pellis in loco oculorum plana est, & tenuis, alba, sine pilis, & prorsus solida, ut ne uestigium quidem diuisionis appareat, hanc cum cautè incidissem, nihil omnino inueni nigredinis aut materiæ oculorum, sed carnem deprehendi illic humidiorē, quam alibi, erat autem recens capta talpa, & adhuc palpitabat. Sed nil mirum talpam oculis carere, quum extra terram nec uictum quærere nec aliter uersari soleat. uenatur enim in terra lumbricos, ubi oculi ei forent inutiles. Pellem uerò oculorum loco, tenuem, planam & glabram obtinet, ut tenui ad eam luminis reflexione facta, hoc saltem percipiat sub terræ an supra eam sit. Nam supra terram nisi ad unam alteramue ad summum horam uiuere nequit, Hæc ille. Mihi quidem aliquoties inspicienti, talparum ocelli liquidò apparuerunt. prominent enim extra cutim ueluti puncta nigra, magnitudine seminis milij uel papaueris, neruo affixa. Hæc cum digito chartæ apprimerem, nigro humore eam infecerunt. Quin & eruditus quidam amicus noster, in talpa grauida dissecta foetus aliorum ruculis caret, Albertus. Rostrum habet ὡσπερ γκλῆς, id est tanquam mustelæ, Suidas & Hesychius in τυφλότερ. lego, ὡς μυγλῆς, id est tanquam muris aranei. omnino enim simile est: aut, si mauis, sicut lo rostro, ut magnis parua conferantur. Dentes etiam non ut cæteri mures, sed muris aranei dentibus ferè similes habet, præsertim inferiores. binos enim antè coniuictos & oblongos non habet, sed ut canes uel mustelæ utrinq; ad latera singulos habet eminentes, non in utraq; tamen ut illi, sed superiore tantum maxilla, posteriores siue interiores multis cuspidibus ut in mure araneo exasperatos: ut merito μακρωτάτης, id est pessimos & ualde noxios eam dentes habere Suidas & Hesych. in uoce. τυφλότερ. scripserint. Καυλιόδοντα sunt, quæ dentes habent extra os prominentes, ὑπερφερῆς, ut elephas, sus, talpa, Varinus in καρχαρῶδοντα. sed sui ab inferiore mandibula sursum tendunt, elephanto & talpæ à superiore deorsum. Lingua est tanta, quantam inferior oris meatus capere potest. Collum inter crura anteriora breuissimum, & propè nullum. Pulmones multæ sunt fibræ separatæ, quæ nullo communi inter se principio coherant. Sit sunt illi cum corde quod amplectuntur.

Etuntur, multò inferius quàm quis putaret, uentrem uersus. Fel est subflauum. Pedes ursinis simili-  
 les, Hesych. & Suid. Dígiti eius quibus terram fodit, omnino acutis unguiculis armantur, Ge. A.  
 gricola. Crura ei breuissima & ungues acuti: dígiti quinq; antè, & quatuor posterius, Albertus: sed  
 falsus est, nam in posterioribus quoq; pedibus dígiti quinq; sunt, quorum minimus ita spectat intror-  
 sum, ut negligentius inspicientem lateat. Vola seu palma anteriorum pedum bene lata est, & ma-  
 num refert, cauo etiam per medium relicto si modice cõprimatur. Ungues in eisdem robusti, & ma-  
 iores longiores latioresq; quàm in ulla animante pro sui corporis modo. Hoc etiam eisdem cruribus  
 peculiare, quod anteriorem duntaxat partem habeant, ossibus constantè geminis, quæ statim in ar-  
 mum siue os humeri inseruntur, sic enim fortius fodit. (ad quod illud etiam facit, quod pedes eorũq;  
 10 dígiti non deorsum sed ad latera spectant.) Posteriõra uero crura, utraq; partem, ut murium crura  
 habent, sed pars quæ infra genu est, osse unò constat, quod paulò infra genu bifurcatur. Cauda bre-  
 uis & hirsuta est.

C.

De cæcitate talpæ, præcedenti capite diximus. ¶ Liquidius (quàm homo) audiunt talpæ obruta  
 ta terra, tam denso atq; surdo naturæ elemento. Præterea uoce omnium in sublime tendente, sermo-  
 nem exaudiunt: & si de his loquere, intelligere etiam dicuntur, & profugere, Plinius. Auditus eis  
 acrior sub terra, quàm supra, Mich. Herus. Talpa acri auditu est. & ideo longè in terra trahentes (se  
 mouentes) uermes audit. Verùm hoc non ex auditus præstantia contingit, sed potius ex commotæ  
 terræ continuitate. Nam si oblongus meatus sub terra excauetur, in quem aliquis uocem emittat, aut  
 20 loquatur, longè auditur: sicut & ille qui loquens per hastas & ligna caua quàmuis longa auditur. Et  
 hanc ob causam talpa undiq; circa se oblongos meatus fodit. ¶ Homo nullius iudicij, sed tamen  
 impendio uerbosus, loquax talpa dictus est populari conuicio. Quod primum dictum est in Iulianũ  
 Capellam, posteaquam uenerat in publicũ odium. Nam talpæ nostri ut cæci sunt, ita sunt æquè muti.  
 Refert Ammianus libro 17. Erasmus. ¶ Crura habet breuia, quare tardè graditur. Cum iniu-  
 riam sibi in dorso fieri sentit, mox se resupinat, & pedibus rostroq; defendit. Terrã in aruis, magis  
 uerò in pratis & hortis passim egerit, Ge. Agricola. Talpa domicilium sibi parat, Aristot. Terram  
 pedibus effodere, rostro reijcere uidetur, unde nomèn Germanicum *mulwerff*. Ad eò autem hoc  
 opus celeriter & ample explet, ut qui uiderint primò defossam (a) talpa humũ, multum admirentur,  
 Cardanus. Nullum animal sanguine præditum (& uiuiparum,) sub terra perpetuò uiuens præter  
 30 talpam est inuentum, Cardanus. Audio talpas omnes mense Iunio apud nos latibulis suis aliquan-  
 do egrèdi, ideoq; facilius eo mense capi. ¶ Vita talpæ super (extra) terram, non durat nisi forte ad  
 unam aut alteram ad summũ horam, Albertus. Theophrastus tradit in Paphlagonia effodi pisces  
 gratissimos cibus, &c. quicquid est, hoc certe minis admirabile talparum facit uita subterranei ani-  
 malis, Plinius. Talpæ cum terram per cauernulas subeant, sub terra spirandi facultas eis nõ adimi-  
 tur: Et forsã cuniculorum suorum aditus terra obrutos, idcirco rursus aperiant, ne respiratio neces-  
 saria eis intercipiatur, quanquã aliquando in secundum aut tertium diem id facere differunt. ¶ In  
 cibo lumbricos appetunt, quamobrem amant loca stercorata, & sterquilinijs hortorumq; areis pro-  
 xima. Agunt autem cuniculos suos multò altius quàm subterranei mures. Lumbrici cum talpas sibi  
 imminere senserint, ad soli superficiem fugiunt. Vermibus uiuunt, in fame etiam terra, Author li-  
 40 bri de nat. rerum. Albertus lumbricis eas uesci scribit, & in fame radicibus herbarũ, præcipuè fruga-  
 gum. Oppianus talpam *πρωφάγον*, id est herbiuorã uocat, & *λαβρόν ἐδάδιον*, id est uoracem. Sema-  
 per terram fodit, & humum egerit, & radices subter frugibus comedit, Isidorus. Expertus sum (in-  
 quit Albert.) quod talpa delectatur bufonibus & ranis in cibo. Et aliquando deprehendi bufonẽ ma-  
 gnum, quem talpa sub terra pede mordicus apprehensum retinebat: & bufo fugiens iam toto corpo-  
 re extra cuniculum educto, altam uocem ædebat propter morsum talpæ. Sed ranas etiam bufonesq;  
 talpam mortuam edere expertus sum. ¶ Creatur talpa ex terra simul ac pluuia, Rodolphus qui-  
 dam: de terra pluuia madida & putrescente, Albertus. Hinc puto Oppianus talparum *αὐτοχθοναὶ*  
*φύλα* dixit.

D.

50 Mustela in agris & pratis mures & talpas capit: quã in cuniculos etiam persequitur, & celeriter  
 conficit. Feles quoq; capiunt quidem talpas & perimunt, sed non edunt, ut audio. Voce omniũ  
 in sublime tendente, talpæ tamen sub terra sermone exaudiunt: & si de his loquere, intelligere etiam  
 dicuntur & profugere, Plinius. Cum talpa quædam in uas incidisset, e quo euadere non poterat,  
 altera terram iniiciendo ei opem tulit, ut referam sequenti capite, uerbis Gillij.

E.

Talpæ omnes mense Iunio latibulis suis aliquando egrèdi dicuntur, ideoq; facilius eo mense ca-  
 pi. Qui dubitant talpa ne an mus subterraneus cuniculos foderit, terra eos obruit, quod si sta-  
 tim rursus aperti inueniantur, murem esse intelligunt, quãuis enim talpa quoq; eos rursus aperiat,  
 aliquando tamen in secundum aut tertium diem differt. Vtriq; similiter capiuntur, obseruatur enim  
 60 quando ad aperiendum accedant, deprehensiq; ligone statim post ipsos in terram adacto efficiuntur.  
 Sunt qui decipulas quasdam similiter ad utrosq; parent: machinis quibusdam, quorum ferrèi mureo  
 nes sunt oblongi, per transuersum in tabulam ligneam deinceps infixi, serè quini, lapide ponderoso  
 u u

oneratis, ita instructis, ut cum mus ad aperiendum cuniculum accesserit, & impositum illic paruum lignum attigerit, machina ruens dentibus suis talpam perforet. aliqui filum ferreum mucronatum baculo infigunt, quem terræ insertum flectunt, & ita instruunt, ut cum talpa in aditum sui catri uenerit, filo feriente traiciatur. Talpas Græci hoc genere persequuntur: Nucem perforari iubent, uel aliquod pomi genus soliditatis eiusdem. Ibi paleas, & ceram (cedriam, Paxamus) cum sulfure sufficienter includi. Tunc omnes paruulos aditus, & reliqua spiramenta talparum diligenter obstrui, unum foramen, quod amplum sit reseruari, in cuius aditu nucem intus incensam, sic poni, ut ab una parte flatus possit accipere, quos ab alia parte diffundat, sic impletis fumo cuniculis talpas uel fugere protinus, uel necari, Palladius. Eadem omnino Græce leguntur in Geoponicis, auctore Paxamo. In foratam nucem, *εἰς κερύνην*, (inquit) aut in aliud simile uas angustum, paleas sulfurq; & ex cedri lachryma quantum satis est inserito, &c. ut ita fumus omnis illapsus talpam suffecet. In hunc modum talparum omnium aditus, (*φωλεὺς, προμαλίας*) circumueniens atq; idem faciens, omnes exterminabis. Aliud eiusdem Paxami, Veratrum album & corticem cynocrambes trita & cribrata, cum farina & ouis ex lacte subigens, in offas (*μάζας*) rediges, quas cuniculis talparum impones. Multi & formicas & talpas amurca necant, Plinius. Cum ad comprehendendas talpas fictile uas angustis faucibus in scrobem de industria factum demississem, earumq; una in hoc ipsum incidisset, & exitus non ei pateret, quod sursum uersus propter decliuitatem adrepere non posset, altera ei opem et salutem tulit, terramq; effossam in uas tandiu coniecit, quoad exaggeratione facta, altera exire potuerit, Gill.

¶ Pellibus talparum cubicularia uidimus stragula, adeo ne religio quidem a portentis summouet delicias, Plinius. Ex earum pellibus etiam pileolos fieri Ge. Agricola scribit. Ego crumenas alio quando ex eisdem consuras uidi, oblectat enim densa pilorum mollicies, & color ex atro splendens, quo sericum uillosum refertur. ¶ Cumulos a talpis excitatos in pratis hortisque disijcere oportet, idq; potissimum descendente Luna, a cancro scilicet ad capricornum, presertim cum in aliquo signo sicco fuerit. Sunt qui eò utilius hoc fieri putant, quò minor Luna fuerit, non pluuio, sed sicco cælo, Obscurus. Superstitiosum: Si falcem, qua foenum secatur, in natali Domini in prato acuas, talpæ omnes quotquot sonum audierint, è prato diffugient, Obscurus. ¶ M. Varro auctor est, a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia, Plinius.

G.

Magi de talpis multa uana prodiderunt: nec quicquam probabilius inuenietur quam muris aranei morsibus aduersari eas, quoniam et terra, ut diximus, orbitis depressa aduersatur, Plinius. Mor sui muris aranei talpa discerpta imponitur, Plinius Valerianus. Sorices magni, id est talpæ, si imponantur ictui scorpij, sanant, Hali. Talpam super glandulas ligato, destruit, Sextus. Pilulas ex talpis cum melle subactas, (diebus nouem deuoratas,) Arnoldus a bocio & scrophulis liberare putat, Oliuarius. Ut pili defluant, nec renascantur: Talpam in aqua tandiu macerari relinques donec pilis nudetur: hac aqua locum pilosum illines: (& postea ablues lixiuio, & linteo perfricabis, & si pili redituri uideantur, bis aut ter repetas.) hoc aliqui se expertos scribunt, Andr. Furnerius. Ut pili in equis renascantur: Talpa coquatur in oleo donec dissoluatur & consumatur caro. hoc oleo locum pluries inunges, bis saltem die, Rufius. Ut pili equorum nigri mutantur in albos: Talpam in aqua falsa uel lixiuio per triduum coques: & cum aqua uel lixiuium consumptum fuerit, nouam aquam uel lixiuium addes: quo facto, aqua illa aliquantulum calida locum madefacito. Pili nigri mox defluent, & subnascentur albi, Rufius. Aliter, Talpam in olla noua discoques diutissime, & supernatante pinguedine collecta locum in equo illines, Obscurus. Aliter, Talpam in aqua coques donec dissoluatur: & sic triduo relinques. deinde illines locum, in quo pilos albos nasci uolueris, prius derafum, Obscurus. Nugantur quidam, si quis talpam manu dextra teneat donec expiret, singularem in illa manu facultatem futuram sedandis mammarum muliebrium doloribus. ¶ Talpæ uiscerum cinis cum albumine oui loco leproso illitus, plurimum ualere dicitur, Albertus & alius obscurus. Talpæ cinis ex oleo uel melle illitus, cutim leprosam emendat, Iacobus Oliuarius. Strumis talpæ cinerem ex melle illinire suadent, Plinius & Marcellus. Fertur etiam quod cinis talpæ contra fistulam ualeat, nempe ad eius putredinem consumendam, Obscurus apud Vincentium. Ad dentes mobiles: Talpæ cinerem mixtum cum melle superfricato, dentes confirmat, Sextus. ¶ Sanguis talpæ occisæ capiti glabro illitus, pilos restituit, Albertus & alius quidam obscurus. Ad paronychiam: Talpæ sanguinem chartæ instillatum superilligato, Innominatus. Magi tradunt lymphatos sanguinis talpæ aspersu resipiscere, Plinius. ¶ Ad strumas: Aliqui talpæ caput præcisum, & cum terra a talpis excitata tusum digerunt in pastillos pyxide stannea, & utuntur ad omnia quæ intumescent, & quæ apostemata uocant, quæq; in ceruice sunt, uesciq; suilla tunc uentant, Plinius. Talparum capita recisa cum terra sua contunduntur, & pro emplastro adponuntur strumis, utiliter profunt, ob id quod pastilli inde facti in pyxide stannea reponi debent, ut præsto sint cum opus est, Marcellus. ¶ Dente talpæ uiuæ exempto, sanari dentium dolores adalligato magi affirmant, Plinius.

¶ Arnoldus putat cor talpæ nouem dies comestum, liberare a bocio & scrophulis, Iacobus Oliuarius. ¶ Ad strumas: Aliqui iecur talpæ contritum inter manus illinunt, & triduo non abluunt, Plinius. Iecur eius inter manus tritum adpositum, plurimum prodest, Marcellus. ¶ Dextrum quoque pedem eius remedio esse strumis affirmant, Plinius.

Talpæ

H.

2. Talpæ oculis capti, Vergil. i. Georg. ubi Seruius, Mutauit (inquit) genus, nam hæc talpa dicitur, sicut & de damis fecit. Fiunt & circa genus figuræ in nominibus, nam & oculis capti talpæ, & timidi damæ dicuntur à Virgilio, sed subest ratio, quia sexus uterque altero significatur, tam enim mares esse talpas damasque, quam fœminas, certum est, Quintilianus 9. 3. Talpa dicta est, eò quòd perpetua cæcitate tenebris damnata sit: quam Græci afflata (lege, aspalaca) uocant, Isidorus. Aspalis, (lego, aspalax,) id est talpa, Syluaticus. Scribitur & asphalax, nimirum Atticè. παρα τὸ αὐτὸ, γίνεσθαι ἀσπάλᾳ, unde asphalax, abundante alpha, & tenui in oppositam sibi densam conuersa, Varinus. Aristophanes in Acharnensibus Bœotos ceu rudes admodum homines notans, Bœotum quendam inducit in foro uendentem lepores, uulpes, scalopes, σκαλοπας, (Scholiastes mures interpretatur qui alio nomine spalaces dicuntur, id est talpas,) quasi Bœoti hæc animalia in cibo non aspernentur. Σκάλοψ pro ἀσπάλᾳ Atticum est, Nicocles. λῶτ, ἀσπάλᾳ, μὴ τυφλὸς ὁ τῶ γῆν τροπῶν, Hesyck. quidam Latine etiam murem araneum, murem cæcum appellant. ἰνδρα, talpa, Hesyck. Varin. Σιφνός, talpam ni fallor significat Lycophroni, Varinus. Σίφνον terram interpretantur, & Σιφνός euacuare: ut talpa σιφνός dicatur, tanquam subterraneum animal, uel quod terram fodiendo uacuet. Irliocha, id est talpa, Syluaticus. Orthoponticos, id est, talpa, Idem. ¶ Epithera: Oculis captus, obrutus, captus lumine, apud Textorem. ροιοφάγος, λάβρος ἐδ' ὠδ' ἡς, ἀλαός, αὐτόχθων, Oppiano. Σπαλακία, morbus, cæcitas, ἢ πῶδ' τὸς ὀφθαλμοὺς πύρωσις, Varinus. ¶ Manardus in epistolis inter recentiora morborum nomina, testudinem & talpam (tumores, nimirum ab horum animalium crasso, lato & informi corpore sic dictos) ponit. Testudinem (inquit) uocant tumorem mollem, uel non ualde durum, satis autem magnum, in quo pinguis materia, tunica quadam obiecta continetur, quæ caluarie ita hæret, ut ipsam plerumque uitiat. Hanc non est dubium de numero esse abscessuum, & sub meliceride uel atheromate contineri. uidetur autem meliceris potius quam atharoma. Cæterum talpæ ab istis non magnopere distant, nisi quòd quum albam materiam contineant, ad atharomata potius quam melicerides referuntur, Hæc Manardus. Sed uidetur etiam author libri tertij de Parabilibus, (qui Galeno adscribitur,) capite 163. per ἀσφαλακίας, interpres talpas reddit, abscessuum genus intelligere, diuersum tamen à superiore, & ad fistulas referendum propter foramina. Elues eas (inquit) primum mulso, deinde fel bubulum iniecto, & leporis simum, aut quod ex sapone confectum est: aut rutæ succum in foramina instillato, aut aristolochiam tritam cum aceto subigens, in foramina infarcito. ¶ Est & herba spalax, uel ut Gaza reddit aspalax: de qua Theophrastus 1. 11. historie plantarum, Herbaceorum etiam (inquit) pleraque radices habent grandes & carnosas, ut aspalax (ἀσπάλᾳ) crocum, perdicium. Sed nec ipse alibi, nec alius quisquam quod sciam huius herbe meminit. Astragalus herba crassos carnososque aliquot nodos in radicibus habet, & querendum an ita melius quam aspalax legatur.

¶ c. Formicæ Indicæ, quemadmodum talpæ, sic ad cauernarum fauces terram exaggerant, Aelianus.

¶ e. τί δὴ τὰ πῶδ' ἢ ἀσπαλάκων λείψαιμι; φοβερὸν γὰρ τῶν γαργῶ τὸ κενὸν, καὶ δὴ δὲν ταγώνιστον τὸ πολέμου, Rusticus quidam in epistolis Simocati. ¶ Armo talpæ contacta semina uberiora esse quidam putant, Plinius.

¶ h. Phineum excæcatum & in talpam mutatum, Oppianus canit circa finem lib. 2. de uenatione. Ouidius tamen in Metamorphosi ipsum & socios in saxa conuersos scribit. Talparum est pellibus cubicularia uidimus stragula, adeò ne religio quidem à portentis summouet delicias. Nam religionis capax dicitur animal, Plinius. Et alibi, Peculiare uanitatis Magorum sit argumentum, quòd animalium cunctorum talpas maxime mirantur, tot modis à rerum natura damnatas cæcitate perpetuæ, tenebris etiamnum alijs defossas, sepultisque similes. Nullis æquè credunt extis. Nullum religionis capacius iudicant animal: ut si quis cor eius recens palpitansque deuoraret, diuinationis & rerum efficiendarum euentus promittant. Veteribus monumentis traditur, gallinaceorum fibras maxime dijs gratas uideri, sicut talparum (uiscera) Magi uerissima dicunt, illisque haud secus quam solenni uictima pulcherrime litari. hæc enim sunt exta argutissima, in quibus diuina mens inesse creditur, Alexander ab Alex. 5. 25. Et paulò post, Apud Magos talparum exta & ranarum, euentus fortunatos, nonnunquam magnos casus prædicere crediderunt. Neptuno multis in locis ἀσφαλάκας, lego ἀσφαλάκας, id est talpas sacrificant, & Phurnutus scribit: ratione nominis duntaxat, ut uidetur, quòd ipse ἀσφαλάς, id est tutò & firmiter terræ fundamenta & ædificia consistere faciat, unde & Asphalius cognominatus est, Gyraldus. Franciscus Alunnus talpam Furijs infernalibus sacram esse scribit: authorem uerò non adfert.

¶ Prouerbia, Talpa cæcior, & Talpa loquax, explicata sunt supra capite tertio.